Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

sumus. immo ipsum id exposuisse docuimus. Ergo et quia non diu abierat hic erat. et quia mox fuerat abiturus hic quodammodo non erat. Quid sit autem hoc gaudium de quo ait. ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis iam supra expressum est ubi ait. ut sint unum sicut et nos. Hoc gaudium suum id est a se in eos collatum in eis dicit implendum. propter quod se locutum dixit in mundo. Hec est pax illa et beatitudo in futuro seculo. propter quam consequendam temperanter et iuste et pie vivendum est in hoc seculo. Explicit

Omelia .xc.viii. Incipit .xc.viiii.

De eo quod dicit. ego dedi eis sermonem tuum. et mundus odio eos habuit. usque ad id ubi ait. ut sint et ipsi sanctificati in veritate.

Loquens adhuc Dominus ad patrem. et orans pro discipulis suis dicit. Ego dedi eis sermonem tuum. et mundus odio eos habuit. Nondum id experti fuerant passionibus suis que illos postea sunt secute. sed more suo dicit ista verbis preteriti temporis futura prenuntians. Deinde causam subiciens cur eos oderit mundus. quia non sunt inquit de mundo. Hoc eis regeneratione collatum est. nam generatione de mundo erant. propter quod eis iam dixerat. ego vos de mundo elegi. Donatum est ergo eis ut sicut ipse nec ipsi essent de mundo. eos ipso liberante de mundo. Ipse autem de mundo numquam fuit. quia et secundum formam servi de spiritu sancto ipse natus est. de quo illi renati. Nam si propterea illi iam non de mundo. quia renati sunt de spiritu sancto. propterea ille numquam de mundo. quia natus est de spiritu sancto. Non rogo inquit ut tollas eos de mundo. sed ut serves eos a malo. Adhuc enim necessarium habebant quamvis iam non essent de mundo. esse tamen in mundo. Repetit eandem sententiam. De mundo inquit non sunt. sicut et ego non sum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sic enim servantur ex malo quod superius oravit ut fieret. Queri autem potest quomodo de mundo iam non erant. si sanctificati in veritate nondum erant. aut si iam erant cur poscat ut sint. An quia et sanctificati in eadem proficiunt sanctitate. fiuntque sanctiores. Neque hoc sine adiutorio gratie dei. sed illo eorum sanctificante provectum. qui sanctificavit inceptum. Unde et apostolus dicit. Qui in vobis opus bonum cepit. perficiet usque in diem Christi Iesu. Sanctificantur in veritate heredes testamenti novi. cuius veritatis umbre fuerunt sanctificationes veteris testamenti. Et cum sanctificantur in veritate. utique sanctificantur in Christo qui veraciter dixit. ego sum via. et veritas. et vita. Item quando ait. veritas liberabit vos. paulo post exponens quid dixerit. si vos inquit filius liberaverit. tunc vere liberi eritis. ut ostenderet hoc se prius dixisse veritatem quod postmodum filium. Quid ergo aliud et hoc loco dixit. sanctifica eos in veritate. nisi sanctifica eos in me. Denique sequitur. et hoc apertius insinuare non desinit. Sermo tuus inquit veritas.